



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

118. An excommunicatus possit testari, & si aliquis instituat aliquem
excommunicatum pro hærede, testamentum sit validum? Et an in
supradicto casu omnes convenientes ad testamentum peccent? Ex p. 5. ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

Et ejus absolutione. Resol. CXVI. &c. 75

putat. 1.4. dub. 3. ex Suarez docere non esse peccatum mortale ex objecto, si excommunicatus jus suum petat in judicio, donec vel per exceptionem, vel per officium judicis repellatur, si alias revera petat justitiam debitam, & non utatur vi, aut fraude. Et hoc etiam docet Cornejo in 3. part. tr. 5. de Excom. disp. 10. §. 9. quest. 1.

3. Nota etiam cum Hurtado, disp. 8. de excomm. diff. 3. num. 6. si excommunicatus sit toleratus, quamvis possit à judice rejici, quia potest non communicare cum illo, non tamen tenetur cum, quamvis publicum, rejicere, (nisi ad petitionem partis sufficienter probantis excommunicationem) quia non tenetur cum vitare.

RESOLVITIO CXVI.

An excommunicatus vitandus possit petere à suo debitore suum creditum, & is ad id teneatur. Ex part. 5. tract. 5. Ref. 130.

§. 1. **N**egativè respondent aliqui, quos citat & sequitur Sayrus, lib. 2. c. 9. n. 20. & 21 ubi tandem concludit, quemquam non teneri solvere excommunicato, quod promisit solvere cum juramento ante excommunicationem, quia communicare cum excommunicato non licet, quia ut ait Hostiensis, opinio hæc magis tendit in favorem fidei, & censuræ Ecclesiasticæ, tum etiam in favorem animarum ipsorum excommunicatorum, & in odium peccatorum suorum, hæc enim ratione excommunicati ipsi citius respicient à contumacia, & absolutionem procurabunt, ut quod sibi debitum est, recuperare possint, & alij etiam non excommunicati videntes quoddam debita sua non recuperabunt, si excommunicentur, sibi ipsis magis cavebunt, ne aliquid faciant ob quod excommunicationem incurrant. Et hanc opinionem ego puto cum Lessio lib. 2. cap. 16. dub. 9. num. 77. esse probabilem.

2. Sed mihi magis placet opinio affirmativa, quam tuetur Avila part. 2. cap. 6. disputat. 11. dub. 4. Alterius lib. 2. disp. 4. cap. 1. Lessius ubi supra num. 79. & ratio est, quia neque jure divino, neque etiam jure humano debitor liberatur à tali debito statim solvendo post elapsum terminum. Non jure divino, quia nullum tale jus reperitur, præsertim cum etiam Ethnicis & publicanis debita solvenda sint, ut colligitur ad Roman. 13. nisi forte spes esset tua dilatione ipsum conversum iri, & reconciliandum Ecclesiæ, quod interdum vltu venit, quando debitor est magnæ auctoritatis, & recusat solvere creditori, nisi redeat ad Ecclesiam. Non jure humano, quia jura citata non loquuntur de debito pecuniario, sed de debito fidelitatis, & obsequij, leges enim pœnales sunt strictè interpretandæ, quamvis Medina, & quidam alij putent etiam agere de debito pecuniario, quod promissione, & stipulatione juramento confirmata sit contractum, & de omni alio debito solis verbis contracto, quod est probabile.

RESOL. CXVII.

An excommunicatus possit in judicio respondere per scriptum, vel cogatur respondere per procuratorem? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 111.

§. 1. **Q**uod cogatur respondere per Procuratorem, docet Avila, part. 2. c. 6. disp. 2. dub. 2. Hurtado Tom. 4.

do, disp. 8. de excomm. diff. 4. num. 7. & in hanc sententiam magis videtur inclinare Turrianus, lib. 2. de Justitia & iur. disp. 14. dub. 3. & ratio est, quia id significatur, in cap. intelleximus, de iudiciis.

2. Sed verius ego puto posse respondere per se ipsum, quia non videtur tali excommunicato negari quod communi jure cuivis reo conceditur, alias plerumque sentiret nimis magnum gravamen, si non posset per se respondere. Confirmatur ex cap. cum inter, & cap. vltim. de exceptionibus, quibus absolute conceditur excommunicato potestas respondendi, ergo etiam per se, si tamen prius possit obtinere absolutionem ab excommunicatione, omnino decenarius est, ut ante illam per se non respondeat. Ad cap. intelleximus, respondetur particulam, per alium, non excludere ipsum reum, quasi per se respondere non possit, sed per eam Summum Pontificem velle, quod saltem per alium debeat reus respondere. Et ita hanc sententiam docet Præpos. in 3. part. quest. 2. de excomm. dub. 13. num. 87. & Coninch de Sacram. disp. 14. dub. 11. num. 116.

RESOL. CXVIII.

An excommunicatus possit testari, & si aliquis instituat aliquem excommunicatum pro hærede testamentum sit validum?

Et an, in supra dicto casu, omnes convenientes ad testamentum peccent? Ex part. 5. tr. 9. Ref. 129.

§. 1. **R**espondeo quod excommunicatus non potest licetè testari, & omnes convenientes ad testamentum peccant, tamen si testetur, testamentum est validum, secundum omnes, cap. vltimis, de dolo, & contumacia, & aliis iuribus. An verò si quis instituat aliquem excommunicatum pro hærede, validum sit testamentum, non est ita certum. Summistæ, ut Sylvester ver. hæreditas 3. num. 2. Armilla, Angelus, ver. hæres, num. 22. Tabienna, Hostiensis, n. 20. & alij negant, hoc fundamento, quod excommunicatus sit incapax hæreditatis, testamentum autem tunc est nullum, cum hæres tempore testamenti est inhabilis & incapax hæreditatis, l. sed si conditioni, §. solemus, & l. si alienum, §. in extraneis, ff. de hæreditibus instituendis. At Suarez, optima ratione disputat. 15. sect. 9. hanc opinionem confutat, quia supponit fundamentum falsum, scilicet quod excommunicatus propter excommunicationem sit incapax hæreditatis; nam excommunicatio per se, sicut non privat excommunicatum dominio rerum suarum, ita non privat potestate acquirendi dominium aliarum, unde si aliquando excommunicatus privatur botis suis, ut contingit in hæretico, hoc non provenit ratione excommunicationis, ita quod hic sit effectus ejus proprius, sed ex accidenti in odium, & punishmentem peccati hæresis. Ergo, &c. Et ita docet Philippus Faber, de cens. in 4. sent. disp. 25. q. 1. disp. 4. c. 6. num. 206. Mercerus, de Sacram. in 3. p. q. 21. dub. 13. & Fillucius, tom. 1. tr. 12. c. 8. n. 207. qui tamen optimè notat, quod si excommunicatus non sit vitandus, etiam si ipsi non liceat condere testamentum, tamen si velit, aliis est licitum adesse, ut Notario, testibus, quia ipsis non est prohibita communicatio. Ille etiam qui sperat se hæredem instituendum, potest testatorem inducere ad testamentum, quia id est in sui favorem non excommunicati: quod si vitandus sit, tunc neque aliis licebit communicare, nisi soli hæredi instituendo, excusatur enim propter utilitatem, ob quam etiam fortè possunt excusari Tabellio, & testes vocati ab hærede instituendo.

Sup. hoc hæretico in Ref. not. præteritæ §. Limitanda.

Sup. hoc,
& etiam ex-
communica-
to vitando
ibidem, §.
Vnde ex his

2. Nota enim ex eodem Filiucio, *num. 209.* posse institui heredem excommunicatum non vitandum. Ratio, quia cum tali possumus communicare; ipse vero hæres sic institutus non potest adire hereditatem, ob communicationem prohibitam, ea tamen actiones, quæ sine communicatione fieri possunt, ut tacita hereditatis acceptatio, possessio realis per usurpationem, &c. poterunt licite fieri.

RESOL. CXIX.

An excommunicati vitandi possint valide condere testamentum?

Et quid si talis sit excommunicatus pro hæresi, pro usuris, & propter injuriam factam Cardinali?

Et inferitur excommunicatum vitandum heredem institui posse?

Et sequitur contractum initum cum excommunicato vitando esse validum, non solum in favorem contrahentium, sed etiam in favorem ipsius excommunicati.

Et hinc sit validam esse venditionem, emptionem, locationem, & donationem tum ab excommunicato, tum ipsi excommunicato factam.

Et quid de prædictis contractibus factis à Prelato excommunicato, Tutore, Curatore, & similibus? Ex part. 11. tr. 4. & Misc. 4. Ref. 20.

Sup. hoc in
Ref. præ-
terita.

§. 1. AD hoc dubium respondet Hulticus Hunnius, in *Comm. ad Trullerum* vol. 2. d. 10. *Theaur. 2. quæst. 15.* ubi sic ait; Quod ad excommunicationem attinet; distinguendum censeo inter excommunicatum excommunicatione majori, & excommunicatum excommunicatione minori: Nam duplex est excommunicatio, major, & minor. Illa excommunicatum non solum ab usu Sacramentorum, sed ab omni etiam fidelium conversatione, ac consortio prorsus separat; Itaque cum fidelibus nullum actum, nullum commercium exercere possit, *cap. 24. §. aliquando enim causa 11. quæst. 3. cap. 16. c. 19. cap. 32. cap. 33. de causa 11. quæst. 3.* minor vero excommunicatio ea dicitur, qua quis non prorsus à communione, & conversatione fidelium excluditur, & separatur, sed ab usu dumtaxat Sacramentorum, usque dum poenitentiam agat; ardet, *capite 5. de sentent. excomm.* Hæc igitur testamenti factionem non impedit, nec eam excommunicato aufert: Illa vero omnino testamenti factionem impedit; cum qui eam passus est, non possit testes habere, quos adhibeat testamenti ordinationi; non possit etiam instruere fidelem in testamento heredem, quia hæres pro vna persona cum defuncto habetur, ut suo loco demonstrabitur.

2. Non obstat quod excommunicatus nullibi prohibetur facere testamentum, omnes autem testamenti facere possint, qui specialiter prohibiti non reperiuntur, *l. si queramus, ff. qui testament. facere poss.* nam præterquam quod regula hæc dubia adhuc sit, & incerta, ut ex prædictis constat; satis etiam superioris ratione excommunicatum testari prohiberi existimo, qui enim fideles adhibere testes prohibetur; is etiam jure Romano testari prohibetur, cum hodie Cives Romani fideles sint, ut *supra sub littera F.* demonstratum fuit. Et sanè ipse Covarruvias confitetur majorem excommunicationem excommunicato omnem cum fidelibus conversationem auferre.

3. Non etiam adversatur quod porro virget Covarr. quod quoties ex quibusdam personis vna quid facere expresse prohibetur, idem cæteris permitti intelligatur *l. cum prator. 12. ff. de judic.* Excommuni-

cati verò propter percussione Cardialis in specie nominatim & expresse prohibentur facere testamentum; ille quidem in *cap. excomm. §. credentes de heret. Auth. credentes Cod. de heret.* Ille verò in *cap. scilicet de pen. in 6.*

4. Verum respondeo ad propositionem majorem ex *d. l. cum prator.* desumptam, quod procedat quando non constat, quod cæteris Thomas Manlius, *tradi. de ultimis voluntatibus, lib. 2. tit. 2. n. 20.* & hanc sententiam tenet ex Theologis *l. 1. de excomm. c. 9. num. 2. Avila, 2. part. de censur. c. 6. disp. 6. dub. 6. Coninch. disp. 14. dub. 12. in fine. Paul. Layman. l. 1. tr. 5. part. 2. cap. 2. num. 17. Vasquez, de testam. dub. 8. n. 31. Molina de iust. disp. 137. & Card. Lugo, de iust. tom. 2. disp. 24. sect. 4. num. 69.*

5. Hucusque Hunnius, cujus sententiam contra tenuerunt aliqui Iuriconsulti, quos adducit Manlius, *ubi infra.*

6. Verum affirmativam sententiam sustinendam esse puto, quam tuerentur Doctores, quos ad facietatem adducit & sequitur Thomas Manlius, *tradi. de ultimis voluntatibus, lib. 2. tit. 2. n. 20.* & hanc sententiam tenet ex Theologis *l. 1. de excomm. c. 9. num. 2. Avila, 2. part. de censur. c. 6. disp. 6. dub. 6. Coninch. disp. 14. dub. 12. in fine. Paul. Layman. l. 1. tr. 5. part. 2. cap. 2. num. 17. Vasquez, de testam. dub. 8. n. 31. Molina de iust. disp. 137. & Card. Lugo, de iust. tom. 2. disp. 24. sect. 4. num. 69.*

7. Limitanda tamen venit hæc opinio, primo si aliquis sit excommunicatus pro hæresi, *auth. credentes Cod. de heret.* & ibi Bartol. & Salic. & ponit istam limitationem Archidiaconus, in *cap. piam, colum. 3. de ex. cept. in 6. Bald. in l. 1. §. his quibus ff. de leg. 2. Franc. in rubr. de testam. in 6. folio 16. Bart. in l. si queramus ff. de testam.*

8. Secundò, si quis esset excommunicatus pro usuris qui testari non potest, nisi juxta formam *cap. quamquam de usur. in 5.* & ponit Philip. Franc. in *rubr. de test. in 6. col. 16.*

9. Tertiò, si esset excommunicatus propter injuriam factam Cardinali, juxta dispositionem *c. scilicet de pen. in 6.* Et ponit Philip. Franc. in *rubr. de testam. in 6. col. 16.*

10. Itaque seclusis istis casibus omnis excommunicatus potest testari, & ratio est, quia omnes possunt testari qui jure expresse non prohibentur, at excommunicatus in jure non prohibetur testari. Ergo, &c.

11. Ad argumenta verò, quod superius in contrarium adducit Hulticus Hunnius, quod ex eo quod illicitè excommunicatus faciat testamentum, vocando testes, & cum illis & cum notario communicando, inferri nequit irritum esse, sicut non est irritus quilibet alius contractus illicitè celebratus. Præterea omnibus permittitur est testamentum conficere, nisi aliqua lege expresse prohibeatur. Vti habetur *§. final. institut.* quibus non est permittitur facere testamentum, *leg. si queramus ff. de testament. leg. 1. Codice de sacrosanct. Eccles.* At excommunicato non est generaliter interdicta testamenti confectio; ergo.

12. Vnde ex his inferitur, excommunicatum vitandum heredem institui posse; minus enim requiritur ad capiendum ex testamento, quam ad testamentum conficiendum; cum plurimi incapaces sint vitandi, non tamen ut heredes instituantur, ut constat ex *10. tit. Institut.* quibus non est permittitur facere testamentum. Et *leg. si queramus, juncta glossa ff. de testament. & tradit Baldus, leg. 1. numer. 17. Cod. de heret. institut.* Vgolinus, *rub. 2. de censur. cap. 21. §. 1.* Sayrus aliis relatis libro secundo, de excomm. capite 9. num. 9. Stephanus, Davila, & Coninch. loco citato.

13. Inferitur etiam absolute contractum initum cum excommunicato vitando, esse validum non solum in favorem contrahentium, ut docent relati à Mariano Soccino in *c. sacris, num. 458. de sent. excomm.* Scilicet etiam